



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio XLVI. De Libro Vitæ, & numero Prædestinatorum ac
reprobtorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

V. *Prædestinatio & reprobatio sunt in nostrâ potestate.*

Infero quartò: sicut suprâ diximus, Disp. 42. sect. tertiâ, prædestinationem esse in nostrâ potestate, ita idem dicendum esse de reprobatione. Ratio est: cum enim reprobatio, ut jam ostensum est, non fiat nisi dependenter à peccatis, sicut peccata sunt in hominis potestate, & penes ipsum est ea committere, vel non committere, ita penes eundem similiter est ut ob peccata reprobetur, vel non reprobetur.

VI. *Nihil propriè, & in rigore est effectus reprobationis.*

Infero quintò circa effectus Reprobationis: cum reprobatio sit exclusio, seu voluntas aliquem excludendi à gloriâ, & Deus, ut sect. 2. & 3. vidimus, nullam antecedenter ad peccatum finale prævisum habeat huiusmodi voluntatem: infero, inquam, nullum propriè & strictè dari effectum reprobationis, cum quicquid sortitur rationem huiusmodi effectus, fieri à Deo debeat ex affectu aliquem à beatitudine excludendi; Deus autem, ut dixi, nullum huiusmodi habet affectum. Et in hoc differt reprobatio à prædestinatione: huius enim, ut vidimus disp. præcedente, sect. 2. & 3. multi dantur effectus, cum Deus habeat voluntatem homines salvandi, & ex hac voluntate varia iis confert beneficia, & media in ordine ad salutem.

Specialis differentia reprobationis à prædestinatione.

VII.

Quare nec permissio peccati, nec inflictio mor-

tis, dum quis existit in peccato mortali, unde sit, ut in peccato moriatur, ac damnetur, sunt propriè effectus reprobationis; nec enim vel peccatum permittit Deus, vel mortem in illis circumstantiis infligit, ut homo ille damnetur. Inò licet mortem tunc inferret Deus ultra exigentiam naturæ, adhuc id non faceret ex intentione hominem illum damnandi, sed ob pœnam temporalem; peccatum namque, nisi prævisum existens finaliter, non movet Deum ad illud puniendum pœnâ aternâ.

Permissio tamen peccati, illius saltem, in quo quis decedit, dici aliquo modo potest effectus reprobationis, quatenus scilicet subtractio illa auxilii congrui, est inchoativè rejectio à gloriâ, cum jam inde ab illius commissione incipiat series illarum, quæ tandem causa erunt aliquo modo rejectionis à beatitudine, ac damnationis. Et idem dici potest de sublatione è vitâ, dum quis in peccato lethali existit: propriè tamen non est effectus reprobationis, ut dictum est numero præcedente.

Disputant hic aliqui de occæcatione, & obduratione: de hac re tamen dictum est suprâ, d. 38. sect. 6. num. præcipuè duodecimo. Adultis autem omnibus, etiam reprobis, dari à Deo gratiam sufficientem, ostendi eadem disputatione, sect. quintâ & sextâ.

Permissio peccati, & alia huiusmodi, non sunt effectus reprobationis.

VIII. *Lato quodam modo quædam effectus reprobationis.*

IX.

DISPUTATIO XLVI.

De Libro Vita, & numero Prædestinatorum & Reprobatorum.

SECTIO PRIMA.

Annotantur nonnulla circa Librum Vita.

I. *Quid sit Liber vita.*



QUÆRES primò, quid sit liber vitæ? Sanctus Augustinus de Civitate Dei, lib. 10. cap. 15. librum vitæ. de quo toties in scripturâ fit mentio, ait esse prædestinationem ipsam: *Non Deum, inquit, liber iste commemorat, ne oblivione fallatur, sed prædestinationem significat eorum, quibus aterna dabitur vita.* Et ibidem addit: *Non nescit Deus, & in hoc libro legit, ut sciat, sed potius ipsa ejus præscientia de illis (id est Prædestinatis) quæ falli non potest, liber est vitæ.* Idem fere docet S. Thomas hic, q. 24. a. 1. licet potius dicat librum vitæ esse actum intellectus, non practicum, sed speculativum, illum scilicet, quo per modum reminiscentiæ retinet quasi memoriâ cos, quos ad beatitudinem destinavit.

S. Augustinus.

S. Thomas.

II. *Intellectus humanus appellatur interdum liber.*

Declaratur ulterius notio Libri vitæ.

Nec novum aut inusitatum est intellectum nomine libri appellare; sic enim Aristoteles intellectum nostrum esse dixit instar tabulæ rasæ, & in quâ nihil adhuc sit depictum, seu scriptum; tunc autem scribere quis in eâ tabulâ incipit, cum varias rerum imagines ei, cognoscendo imprimit, ac veluti quosdam intra se characteres efformat. Unde & liber vitæ, secundum hanc metaphoram, est catalogus omnium salvandorum, in mente seu intellectu Dei veluti conscriptus. Quare, cum hoc maximè connexum sit cum prædestinatione, &

convertibiliter se habeant, non incongruè S. Augustinus de utroque tanquam de eodem est locutus, licet in rigore fortè liber vitæ à prædestinatione distinguatur ratione, & eam præsupponat, ut vult S. Thomas, estque notitia speculativa, & intuitio quasi reflexa eorum, qui sunt salvandi.

Utrum autem, sicut est liber vitæ, ita etiam sit liber mortis, in quo scilicet describantur reprobi, quæstio fortè est de modo loquendi. Affirmant S. Basilius, S. Nazianzenus, & alii nonnulli ex Patribus, favetque illud Psalmi 138. v. 15. *In libro Libertuo omnes scribentur.* S. Thomas tamen hic, q. 24. art. 1. ad 3. negat dari librum mortis, seu in quo describantur reprobi: non quòd verè Deus non æquè illos perfectè habeat in se, seu in suâ, ut ita dicam, memoriâ descriptos, atque habeat alios; sed quia scribi in libro non solent, qui non asciscuntur, ad militiam exempli gratiâ, sed si solum qui asciscuntur, qui & dicuntur ad militiam ascripti. Tantùm ergo negat S. Doctor dari librum reprobatorum, seu reprobationis, secundum completum usum libri in creatis, & perfectum conceptum metaphoræ desumptæ à libris humanis.

Sed contra dicta remanet non levis difficultas: sive enim dicatur liber vitæ prædestinatio ipsa, sive scientia illa speculativa, ratione ab eâ distincta, & illam subsequens, videtur in neutrà posse eum consistere; aliqui enim in scripturâ dicuntur deleri de libro vitæ: sic Exodi 32. v. 32. dicit Moyses Deo, *Aur dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti: cui respondit Dominus, Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo.* Sic Psal. 68.

III. *An sit in Libro vitæ, etiam sit Libertuo.*

IV. *Dicitur Deo aliquos deleri de Libro vitæ, ergo Liber vitæ non est prædestinatio.*

SECTIO SECUNDA.

Disentiuntur quaedam circa numerum prae-destinatorum & reproborum.

QUAERES, siue major numerus prae-destinatorum, an reproborum? Si haec quaestio generatim proponatur de omnibus omnino prae-destinatis & reprobis, qui post diem iudicii, vel in caelo futuri sunt, vel in inferno, tam hominibus, quam Angelis, dictu difficile est, uter numerus sit futurus major, cum nobis non constet de numero Angelorum, qui in mundi exordio sunt creati, & hominum qui sunt, fuerunt, & ad finem usque mundi futuri sunt, & quantum eos Angeli excedant, quod tamen scitu necessarium est, ut ad hoc respondeamus.

Secunda comparatio est inter Angelos, utrum scilicet ex illis plures damnati sint, an salvati. Quae in re communis est sententia Theologorum, cum S. Thomae 1. p. q. 63. art. 9. plures ex iis in gratia permansisse, & esse salvatos, quam cecidisse, & esse damnatos. Quam etiam sententiam docuit S. Augustinus lib. 11. de civit. cap. 23. dicens, licet Angeli peccaverint, non tamen propterea omnia esse plena peccatis, cum bonorum, inquit, longe major numerus in caelestibus, sine naturae ordinem seruet. Quod etiam docet S. Cyrillus, & alii: probaturque ex illo Apocalyp. 12. v. 4. ubi draco dicitur traxisse secum tertiam partem Stellarum.

Tertia comparatio sit inter homines, majorem inter eos sit prae-destinatorum numerus, an reproborum. Quoad hoc indubitatum videtur, ex hominibus plures damnatum iri. Unde ait Christus Matth. 7. v. 14. Quam angusta porta, & arcta via est, que ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam. Et sane, si quis mente obeat terras & tempora, res videtur clara: nam ante Christi adventum, quotus quisque erat, qui veri Dei habebat notitiam, & pene totus mundus flagitiis erat immerfus. Deinde, etiam post adventum Christi, longe lateque grassabatur, & etiamnum grassatur infidelitas, novaque indies emergunt haereses, quae integras saepe regiones pervertunt, & trahunt in interitum. Imo & inter orthodoxos ita dominantur vitia, ut plurimum, illorum mole ad infernum deprimantur.

Quarto procedere quaestio potest de fidelibus: utrum scilicet ex iis, quibus veri Dei notitia illuxit, quique orthodoxam fidem amplectuntur (ut excludam haereticos) plures salutem consequantur, an amittant. Sanctus Gregorius Homil. 19. in Evangelia, S. August. S. Chrysostomus, & alii existimant, etiam inter fideles, plures reprobos esse, quam prae-destinatos. Unde Sanctus Chrysostomus Homil. 40. ad Populum Antiochenum: Quot, inquit, esse putatis in civitate nostra, qui salvi sunt? S. Chrysostomus. Insestum quidem est quod dicam, dicam tamen: non possunt in tot millibus centum juveniri, qui salventur: quin & de his dubito: quanta enim in iuvenibus, quae so malitia? quantus in senibus torpor? Ita etiam exponunt parabolam de tritico & palea in eadem arca, per quam intelligunt Ecclesiam. Idem etiam suadere videtur parabola seminis, cujus una tantum pars ex quatuor fructum attulit. Christus etiam Matth. 21. v. 16. & cap. 22. v. 14. ait: Multi sunt dicti quod vocati, pauci vero electi. Unde Cajetanus exponens eam parabolam de decem Virginibus, quarum quinque tunc erant fatuae, ait, etiam ex illis, qui in Ecclesia medioeriter vivunt, & curam aliquam conscientiae

v. 33. dicit Propheta: Deleantur de libro viventium. Item Apocalypsis 22. v. 19. dicitur: Siquis diminuerit de verbis libri prophetae huius, auferet Deus partem ejus de libro vitae: & alia hujusmodi saepe in Scriptura reperiuntur: ergo liber vitae non eam habere videtur certitudinem, quam habet prae-destinatio.

V. S. Augustinus in locum illum Psal. 68. Verbum istud Deleantur, ait non significare proprie delectionem illius, quod semel seipsum scriptum est in libro vitae; hoc enim, inquit, est impossibile: solum ergo vult deleri illud, quod in spe & opinione hominum in eo scriptum est. Quam etiam responsionem refert S. Thomas hic, q. 24. art. 3. Eodem etiam fere modo illam Scripturae locutionem explicat S. Ambrosius, Rupertus, & alii. Nec videtur haec declaratio aliena ab aliis Scripturae locutionibus: sic enim Joan. 5. v. 31. dicit Christus, Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum: nempe secundum opinionem hominum, re enim vera non poterat Christi testimonium quod de seipso perhibebat, non esse verum.

VI. Alio modo, licet fere in priorem recidat, explicari potest illa Scripturae locutio, nempe negative, ut scilicet Deleantur, idem sit, ac non scribantur; sic enim Psalmista seipsum explicare videtur, verbis immediate sequentibus: Deleantur, inquit, de libro viventium, & cum justis non scribantur: quasi haec duo idem sint. Unde e contrario, non delere de libro vitae, juxta phrasim Scripturae, idem est ac scribere, seu prae-destinare, vel cognoscere, modo illo superius num. 1. & 2. posito. Sic Apocalypsis 3. v. 5. dicit Deus: Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitae, quod idem est, ac scribetur in libro vitae, seu prae-destinabitur ad vitam aeternam. Ubi obiter notandum pro iis quae diximus supra, disp. 40. sect. 4. prae-destinationem ad gloriam, ut ponatur, pendere ab operibus; hic enim illi soli promittitur gloria, & prae-destinatio, qui vicerit.

VII. Hinc inferitur, quo modo sit certus numerus prae-destinatorum; licet enim non sit certus antecedenter, ita nimirum ut prius tot determinate ordinet Deus ad beatitudinem, quam bona eorum opera videat, ut supra dictum est, Disp. 40. est tamen certus eorum numerus consequenter; Deus quippe tot, non plures, praevisis eorum meritis, & perleverantia finali, ad gloriam destinat, sicut praevisis demeritis, reprobos destinat ad supplicium: quo etiam sensu, ut illorum, ita & horum certus est numerus.

VIII. Inferitur secundò, quo pacto verum sit, quod dici solet, nec reprobum posse salvari, nec prae-destinatum damnari. Respondetur enim, eodem modo haec intelligi debere de impotentia consequente, seu ex suppositione, quod scilicet reprobis noluerit pro aliquo priori illa facere, quae ad salutem requirebantur: & e contra pro aliquo priori semper est in potestate prae-destinati, vel opera mala facere, vel bona omittere, ad quae si se determinasset, loco prae-destinationis secuta fuisset reprobatio & damnatio, sicut in altero, si bene, ut potuit, operatus fuisset, prae-destinatio & salvatio.

IX. Quo sensu reprobis non possit salvari, nec prae-destinatus damnari.

X. Quomodo sit certus numerus reproborum.

XI. Quomodo sit certus numerus prae-destinatorum.

XII. Quomodo sit certus numerus salvatorum.

XIII. Quomodo sit certus numerus damnatorum.

XIV. Quomodo sit certus numerus electorum.

XV. Quomodo sit certus numerus reprobatorum.

suz habent, mediam partem damnari: quod, & merito, valde rigorosum esse affirmat Suarez.

V. Ex Orthodoxis plures salvantur, quam damnantur.

Res hæc dubia est, nec certò definiti quidquam potest: existimo tamen cum Suarez lib. 6. de Prædest. cap. 3. num. 6. quamvis, si per fideles intelligantur illi omnes, qui Christiani nomine gloriantur, inter quos includuntur hæretici, schismatici, & apostata, plures ex fidelibus damnentur, quam salventur: si quis tamen per fideles, solos intelligat orthodoxos, quiq; veram fidem Christi profitentur, mihi multò probabilius est, ex iis plures consequi salutem, quam amittere: esto enim (quæ humanæ naturæ conditio est) in peccata subinde prolabantur, sacramentorum tamen, quæ identidem recipiant, beneficio, gratiam denuo recuperant, & hoc modo ad beatitudinem perveniunt.

VI. Tertia vel quarta pars hominum vitam finit in infantia.

Deinde, ut ait P. Cornelius à Lapide in cap. 21. Apocalyp. v. 16. tertia vel quarta pars hominum vitam finit in infantia, & in innocentia baptismali: plurimi decedunt pueri: imò plus, inquit, quam media pars hominum ex hac vitâ rapiuntur ante

annum vigesimum, & prius, quam astu vitiorum occupentur.

Ad numerum etiam eorum, qui inter fideles salvantur, facit id quod in tabulis Ecclesiasticis refertur, sub uno scilicet Diocletiano, cujus persecutio per decennium duravit, interfecta singulis mensibus fuisse 17. millia Martyrum. Insuper, in libro tertio revelationum S. Brigittæ habetur, per dies singulos toto anni decursu, septem Martyrum millium festa celebrari posse. Si verò Martyribus jungantur Confessores, in eodem libro sic habetur: Si mensurares terram centum pedum in longitudine, & totidem in latitudine, ut seminas eam plenam puris granis tritici, quodlibet verò granum daret fructum centuplum, adhuc essent plures Martyres & Confessores Romæ à S. Petri tempore, usque ad Cælestinum: hæc ibi. Quot verò hic numerus conficiat, præsertim si pro reliquo orbe Catholico, tot proportionem servatâ assignentur pedes terræ, tot grana, & granorum multiplicatio, computum relinquo Arithmeticis. Hæc de profundissimo Prædestinationis mysterio sufficiant.

VII. Numerus Martyrum & Confessorum in Catholicâ Ecclesiâ.

DISPUTATIO XLVII.

De Potentiâ Dei.

NOBIS necessarium non erit suscipiam hac de re disputationem instituire, cum omnia fere, quæ à plerisque hic tractari video, alibi discussim, ut de naturâ infiniti, in physicis Disp. 46. darine possit creatura perfectissima diximus ibidem, sect. 7. & 8. Vtrum verò Deus semper faciat optimum, latè dictum est supra Disp. 32. Hic ergo ea tantum tractabo, quæ alibi non sunt discussa. Dari verò in Deo potentiam certius est, quam ut dubitare de eâ quisquam possit, cum & perfectio sit summum Numen decens, & Deus in sacris Literis toties vocetur Omnipotens.

SECTIO PRIMA.

Quid, & qualis sit Dei potentia.

I. Non est sermo de virtute Dei ad agendum ad intra, sed ad extra.

NON est hic sermo de Potentiâ Dei ad intra, seu virtute quâ Pater generat Filium, & Pater simul cum Filio producit Spiritum Sanctum. Hic ergo de Virtute Dei loquimur, prout comparatur ad creaturas, hanc verò, ut in Deo dari, tanquam certissimum posuimus, ita ulterius, quo pacto in eo inveniat, non exigua est difficultas. Sermo autem est de potentiâ activa; potentia enim passiva, Dei simplicitati repugnat, ut supra ostensum est Disp. 4. sect. 6. & Disp. quintâ.

II. Variâ variâ de distinctione potentia à reliquis Dei prædicamentis loquitur.

Præcipua hic controversia est, quomodo potentia in Deo distinguatur à reliquis ejus prædicatis. P. Suarez tom. 2. Metaph. Disp. 30. sect. 17. num. 47. secutus Aureolum in 1. dist. 42. art. 2. vult Dei potentiam ab ejus essentiâ non distingui. Scotus in 1. dist. 37. quæst. 1. potentiam ait non distingui à Divina voluntate. Valentia eam asserit non distingui ab intellectu & voluntate. Ferrara 2. contra Centes, cap. 1. & 10. illam docet ab

intellectu & voluntate distingui sicut includens ab incluso.

Existimo in primis, potentiam Dei ratione nostra distingui à Divina essentiâ. Ratio est: Divina enim essentiâ, ut supra, Disp. 4. sectione 8. vidimus in virtute ejus intellectiva sita est, in hoc autem conceptu formaliter non involvitur potentia, seu vis operativa ad extra.

Secundò etiam existimo potentiam Dei operativam ad extra distingui similiter, non à voluntate ejus tantum, sed à voluntate simul & intellectu: loquor autem de distinctione rationis, & eo modo quo misericordiam in Deo Theologi distinguunt à justitiâ. Ratio est eadem, quam num. præcedente assignavimus; intellectus enim & voluntas in res creatas, non physicè sed intentionaliter feruntur, nec eas ut effectus respiciunt, sed ut objecta; ergo hæc duæ facultates formaliter non sunt potentia: hæc enim ex conceptu suo formali ordinatur ad res efficiendas, seu producendas.

Quamvis ergo potentia in Deo realiter ab intellectu & voluntate non distinguatur, omnia siquidem Dei prædicata absoluta, realiter, & cum essentiâ, & inter se identificantur; distinguuntur tamen ratione, & diversum ab iis fundat conceptum.

III. Potentia à Divina distinguatur ratione ab essentiâ.

IV. Distinguitur ratione ab intellectu & voluntate.

V. Docet S. Thomas potentiam in Deo distinguere ab intellectu & voluntate.